

Vol. de arte rhet.

DE
VERBIS FORMISQUE LOQVENDI VERECVNDIAE
MERITO ET FALSO CONTRARIIS
P R O L V S I O

QVA AD
ORATIONES II. ACADEMIAE
CANDIDATORVM

ET
II. DISCIPLINAE ALVMNORVM

AVDIENDAS

DIE XXIII. APRILIS

H. L. Q. C

PATRONOS ATQVE FAVTORES
SCHOLAE ANNAEMONTANAE

HVMANISSIME INVITAT

M. IO. CHR. GOTTLBER

SCH. RECT. ET SOCIETATT. LAT. ET TEVT. ALTORF.
SODAL. HONORAR

ANNABERGAE
EX OFFICINA FRISIA.


Lit. Lat.

rec. B.

63,24.

- II / -

VERUM QUOD IN HOC LIBRO CONTINETUR
EST AUCTORITATE PONTIFICIS
PROFESSIO



CVI 30
GRATIANUS H. APOSTOLICUS
CANDIDATUS

II DISCIPLINAE APOSTOLICAE

LIBER PRIMUS
DE SACRAMENTIS

PARTICULARIA DE SACRAMENTIS
SACRAMENTUM MATRIMONII

DE SACRAMENTIS
M. DE SACRAMENTIS
DE SACRAMENTIS



LIBER SECUNDUS
DE SACRAMENTIS



Quemadmodum omnes, qui humanitatis & vrbanitatis laudem sectantur, ad illud animum intendunt, vt in dictis factisque suis reuerentiae & verecundiae habeant rationem, ne homines ingenuos laedant, iisque quasi ruborem iniiciant, nec mores iuuenum iocis illiberalibus obscenisque corrumpant: ita praecipue scriptorum elegantiam est, vt ingenii sui monumentis, quibus aliquis pulchritudinis gustus inest probabilis, nullum verbum, nullam loquendi formam, cui aliquid turpiculi insit, vel ex qua aliquid moribus bonum haud consentaneum elici possit, inferant, ne, quod damnum, quod alii faciunt, quam latissime patet, paullo ante mortem profiteri cogantur, se operam in scribendis libris male collocasse. *Fontanius* quidem, Franco Gallorum poeta elegantissimus, hoc exprobrans sibi, paullo ante mortem aliquoties dixisse fertur: *Se ideo Deum orare, vt suae vitae aliquot adiiciat dies, vt vbi rheda per vias Parisinas possit, ne quem fugiat, quantum versus, a se compositos detestetur. vid. adnot. ad opp. Boilau. T. IV. 117.* Huc & pertinet *Campani* palinodia. Sed pluribus laudandis exemplis, in historia litteraria facile obuiis, supersedeamus.



Etenim constituimus notas, e quibus verba & formae loquendi in bonis scriptoribus, verecundiae merito & falso contrariae, diiudicari possint, eruere, ne bona & suo loco posita, inique reprehendantur, contra vero turpiter & obscene dicta iuuenibus, ut plerumque fit, probentur. Scriptoribus autem, qui reuerentiam maximam, quae lectoribus quidem debetur, obseruauerunt, verecundiam scribendi tribuimus, quam plurimi Graecorum Latinorumque iuuenibus, artis bene scribendi studiosis, commendarunt.

Verecundiae, quidem vox, quae latissime patet, graecorumque αἰσχύνη responderet, non modo eum significat pudorem, qui omnium dictorum factorumque nostrorum comes esse debet, ita, ut nihil contra decorum fiat; sed in scriptores cadit eatenus, ut nullam scribendi materiam, modestis auribus molestantem, eligant, nec verbis turpibus, obscenis & plebeiis utantur, & denique τὸ κακόφρων ἢ κακίμφρων vitent. Oratio verecunda alias & pudica, quae castae cuiusdam feminae imitatur pudorem, vocatur, quam *Cuperus*, *Terentiana* voce *puram* interpretatur. *Petronius* ab oratione pudica, maculosam sic discernit, ut hanc illi opponat: de qua re copiose disputauit *Berger*. *de nat. pulchr. or.* p. 11. A *Cicerone* haec virtus custos virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maxime consequens, dicitur (in *Part. c.* XXIII & *Off.* I, 41. sine *verecundia* nihil potest esse rectum, nihil honestum. Mirandum sane est, Stoicos huius poenituisse sententiae: ii enim, auctore *Cicerone* (*de off.* I, 35.) *reprehendunt & irrident, quod ea, quae re turpia non sint, nominibus ac verbis flagitiosa ducamus: illa autem, quae turpia sint, nominibus appellemus suis* cf. *eund.* L. IX. *ep. ad diu.* 22. & *Quinct.* VIII, 3. Sed non audiendos esse Stoicos, multi veterum recentiorumque monuere, *Aristotelesque* iam eam opinionem, qua dignitas vitae contaminatur, profligauit. (*Rhet.* III. 2, 37. & VII *de rep.*) *vid.* praeter caeteros *Berger. lib. Laud.* p. 364. Propius vero esse videtur, Stoicos eo erroris prolapsos esse, quod omnem αἰσιολογίαν sper-

per-



spernerent. Hinc *Antoninus* τῶν εἰς ἑαυτὸν c. VII. p. 3. *Ru-*
stico in acceptis refert τὸ ἀποσῆναι — ποιητικῆς καὶ ἀσειολογίας,
 vbi male *Xylander* ἀσειολογίας: ad quam v. *Gatack.* l. c. Sed,
 quod vnusquisque paullo liberalius humaniusque institutus mani-
 festum errorem Stoicorum deprehendere potest, propter sensum
 pudoris atque verecundiae nobis insitum, nec hanc sententiam
 refutare nostri est instituti, nos potius ad rem nostram explican-
 dam accingamus, eamque in duas dispescamus partes, quarum
 altera de formis & verbis merito verecundiae contrariis, altera
 de iis, huic virtuti repugnantibus, aget.

Primum quidem vniuerse verecundiae contrarios putamus
 omnes eos libros, quorum argumentum ipsum est ab obscenitate
 ductum. Misera est illa hominum diligentia quum ingenium,
 rebus praeclarissimis scribendis dignum, ad eiusmodi res confe-
 runt, quibus describendis libido excitetur & alatur, & omnino
 mali mores, ad quos plerumque iuuenum natura paullo procli-
 uior est, magis magisque corrumpantur. Nullo modo itaque
 ferendi sunt, *Ouidii*, *Catulli* & *Propertii* amores, impuritatis fla-
 gitiosae pleni libri *Petronii*, 10. *Meursii elegantiae latini sermonis*,
 cum *Aloysiae Sigaeae Satyris Sotadicis*: quanquam, vt notissimum
 est, neque *Meursius*, neque *Sigaea* quicquam sui habet in hoc
 opere, sed *Westrenius*; vt docuere *Struuius* in *Diss. de doctis impo-*
storibus p. 53. & *Heum.* in *consp. reip. litt. c. VI.* p. 332. Sunt &
 alii graeci latinique libelli, quorum argumentum videri possit
 non adeo castum; quales sunt *Anacreontis*, *Charitonis*, *Aristaeneti*,
 aliorumque libri, qui a multis, quibus iocus aliquis liberalis, &
 facetiae displicent, spernuntur, saepius vero ab iis, qui nihil eorum
 legerunt, parum idoneis argumentis: quorum utilitas tamen aliqua
 esse potest in eloquentia, & omnino in moribus nostris ad vitae
 suavis consuetudinem formandis, quum ab iis flagitiosa obscenitas
 sit remota. cf. *Cl. Heyn. praef. ad Tibull.* In libris itaque
 obsceni argumenti auctores contra verecundiam peccasse credi-
 mus, si vel obscenis verbis, vel quae obscenitatis notionem ha-
 bent,



bent, sunt vfi. Consimili modo & offendunt aures delicatas lectorum plebeia & fordida verba, ab infima modo plebe dicta, sed quibus urbani homines abstinere solent. Etenim quum interdum res turpes lectoribus narrandae sunt, neutiquam formae loquendi propriae, quibus vtuntur meretriculae, & omnino perditissima & infima populi faex, adhibendae, sed vel periphrasi vel castis verbis tegendae, vel breuiter, & obscure sunt proponendae. Cicero quidem bene: (*Off. I, 35.*) *nos autem naturam sequamur, & omne, quod abhorret oculorum, auriumque approbatione fugiamus:* sed veram rationem, cur eiusmodi obscene dicta vitanda sint in loquendo vel scribendo, reticuit. Quae sine dubio haec est. Ea animi vitia, quae sese ad libidinem impuram referunt, & *flagitia* a latinis appellantur, quum suis nominibus dicuntur, excitare animum ad libidinem, eiusque delinimenta alere possunt, cogitanda ipsa re, siue notione, quae iis verbis subiicitur: quum contra ea ab caeteris vitiis, veluti furtis, rapinis, fraude, homines abripi se patiantur, cogitandis emolumentis, inde prouenientibus. v. *Summe Ven. Crusii Philos. moral. §. 289. p. 354.* Itaque quod eiusmodi verba & formae loquendi obscenae animum ab honestate detorquent; merito semper verecundiae sunt contrariae, quisquis tandem iis vtatur Cuius vitii recte postulatus est *Aristophanes*; cuius genus fermoris est *Φορτικόν & Βαναυσόν*, eiusque amores non hilares sed impudici, etiam in iis Comoediis, quae inter illiberales sunt paullo verecundiores, veluti in *Nubibus & Pluto*. Etli obscena tantum Poeta tribuit seruis, senibus auaris ac salacibus, & ferenda tamen haec neutiquam sunt, vel propterea, quod homines honesti, vtriusque sexus, grauius eiusmodi fordidis iocis, in lupanaribus tantum obuiis, offenduntur. Praeterea & tam plebeia verba occurrunt, vt verecundo lectori saepius exclamandum sit: *δόξε μοι λεκάνην.* Quis enim ferat: *ἀλλὰ πέρδεσαι* *Nub. A. I, S. I. 9,* vel *ἦς πενίας καταπαρδεῖν* *Plut. A. II. T. V.* quo ioco illiberali saepius vtitur, vt alia taceam. Sed quam castus est locus *Xenoph. Cyrop. I, p. 6. ed. Leunc.* vbi de temperantia

tia



tia & siccitate Persarum loquitur: αἰσχερὸν καὶ τὸ ἀποπύειν —
 Ἰαύλα δὲ οὐκ ἐδύναντο ποιῆν, μή καὶ διαίτη μετρία ἐχεῶντο — ὡς δὲ
 ἄλλη ποι ἀποχωρεῖν cf. *Memor. Socr.* I, IV. §. 6. ἐπεὶ δὲ τὰ ἀπο-
 χωρεῖν — quibus addam ex *Cyrop.* L. VIII- ἦν αὐτοῖς ἐπιχώριον —
 μήτε ἐσθίειν, μήτε πίνειν μήτε ἰῶν διὰ Ἰαύλα ἀναγκαίων μηδὲν ποι-
 εῖν φανερὸς εἶναι Nec immunes ab hoc vitio sunt aliquot
 latinorum poetarum praestantissimi v. c. *Horatius* & *Iuuenalis*:
 quorum ille passim mores libidinosos, linguamque parum pudicam
 prodit v. c. *Od.* VIII. *Epod.* & L. I. *Sat.* II. & alibi: hic tam
 acriter in vitia suorum temporum inuehitur, vt verecundiae
 obliuiscatur v. c. *Sat.* VI. & IX. Etsi *Iuuenalis* defensor est virtu-
 tis acerrimus, lectuque dignissimus: tamen vitiorum turpitudi-
 nem non turpissimis verbis notare debuisset. Sunt qui dicant,
 poetam id fecisse, vt odium vitiorum lectoribus instillaret. Sed
 hancce defensionem non omnino probabilem esse, ex superiori-
 bus patebit. Praeterrittam huc *Ouidium*, *Plautum*, *Martialem*,
 aliosque parum castos auctores: qui in quibusdam locis lectori-
 bus verecundis sunt inuisi. In honore merito sunt & erunt
Platonis, *Xenophontis*, & omnino Socraticorum philosophorum
 libri: quos *Cicero*, verecundiae studiosissimus, & hac in parte fe-
 cutus, laude dignos habet. *Ego seruo, inquit, & seruabo, sic
 enim assueui, Platonis verecundiam, Ep. ad diu. I. IX. 22.* Mirifice
 autem placent loca, quae rem, ab oculorum auriumque appro-
 batione abhorrentem, sermone casto vestiunt, cum aliqua gra-
 tia. Placuit semper locus in *Euripidis Hecuba* v. 565. cum *Poly-
 xena* iugulatur:

— Ἰνὴσκαρσ' ὁμως

πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχημόνως πεσεῖν,
 κρύπτειν δ' ἢ κρύπτειν ὀμματ' ἀρσένων χρεῶν.

Cui loco non dissimilis est locus *Suetonii* in *Caes.* c. 82. „*Simul
 sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam
 inferiori parte capitis velata.* Num potuit verecundius quid hoc di-
 ci? Et quem fugit summa *Virgilii* verecundia, quam vbiq̄ue
 tam

tam



tam feliciter expresit. Huc & referendas ducam metaphoras, a rebus obscenis, fordidis atque abiectis ductas. *Fugienda est omnis turpitudine earum rerum, inquit Cicero (III. de orat. c. 41. ad quas eorum animos qui audiunt, trahet similitudo. Nolo, morte dici Africani castratam esse rempublicam: nolo stercus curiae dici Glau- ciam &c. v. Cler. A. C. P. II. S. I, c. 16. p, 228. & Voss. I. O. L. IV, c. VI. §. 9.* Suaues sunt tropi a rebus honestis & pulchris de- sumti: qui lectoribus ideo placent, quia res, a quibus ducun- tur, sua bona quodammodo communicant cum iis, ad quas transferuntur. Hoc nomine etiam reprehendenda sunt verba plebeia & abiecta, quae hominibus urbanis fastidium summum creant. Quis enim paullo humanior amet fordes vulgi? Bene educati homines expectant reuerentiam ab iis, quibuscum ali- quam consuetudinem contrahunt. Qua nisi digni habentur; omnem societatem dissoluunt, quae sine honestate nulla esse pot- est. In hac re autem diiudicanda praecipue spectandum est ad personam loquentem, affectum, & rem ipsam. Inter Deos itaque Poetarum, sermones habeantur, eorum personis digni. Quod an *Homerus* semper obseruarit, non fatis scio. Proferam locum ex *Il. a. v. 565 & 567.* ubi Iupiter ad Iunonem: *Tacita sede, meisque ob tempera diotis, ne te nihil iuuent quotquot in coelo sunt Diu, aduersus me propius accedentem, quando tibi inuictas manus iniiciam.* Nescio an reuerentia & verecundia in hoc loco sit obseruata. Lectu dignissima est super hac Sect. XLIII. *Lon- gini*; quo loco *Herodotum & Theopompum* vituperat, quod verba plebeia adhibuerint. *Respondeant, inquit, verba maiestati rerum tractandarum: imitemur hac in re naturam, quae in formando ho- mine, non eas partes, quas nominare turpe est, in conspectu posuit; sed, vt ait Xenophon, τοὺς ἰούων ὅτι πορροῖαίω οχέϊς ἀπέστρεψεν, ἔδαμῃ καλαίσχυνασα τὸ ἴσ ὄλγ ζωῖς κάλλος.* (Mem. I, IV. qui locus immutatus est) cf. *Cic. de nat. Deor. II. 56.* Quare verba, quae ruditatis sunt fructus, in nulla oratione ferenda sunt: signa enim sunt morum, homine liberali indignorum. Omnino autem improbanda sunt verba, quae cum honestate, verecundia & de-

& de-



& decoro non conueniunt: quae facillima sunt ad iudican-
dum.

Restat adhuc, vt de *κακοφάτω*, verecundiae merito con-
trario aliqua addamus; cuius vis cernitur in eo, quum verba,
ideam aliquam accessoriam parum honestam habentia, adhiben-
tur, vel solo sono aliquid turpiculi indicant, vt *bini. v. Cic. ep.
ad diu. IX. 22.* Interdum verbis casu ac temere turpitudinis
macula adhaesit, vt *ῥῶ inire.* Vnde & *Sallustius* quod *ductare ex-*
ercitum dixit, veluti *B. C. c. XI. & XVII.* est reprehensus. *Du-*
ctari enim scorta dicuntur, quum ad libidinem adducuntur vid,
Burmann ad *Quinctil. VIII, 3. p. 695.* qui, *etsi culpam non scriben-*
tium sed legentium esse, dicit, tamen eiusmodi vitanda esse, putat,
quatenus verba honesta moribus perdidimus, & euincens vitiis etiam
credendum est, siue iunctura deformiter sonat. Quod *κακοφάτω* si
quis vitare velit, gnarus sit eius linguae, in qua scribat, &
consulat cum aures suas, tum amicorum. Fit enim saepe, vt
res seria, verbo, cui eiusmodi macula adspersa est, risui ex-
ponatur, quum consilium scribentis longe alienum ab illa notio-
ne turpi fuerit.

Reliquum est, vt altera institutionis nostrae parte, de
verbis formisque, falso verecundiae contrariis, pauca addamus.
Insunt optimis scriptoribus, quin ipsis sacris litteris verba &
loquendi formulae, quae verecundiae aduersari videntur, sed
quibus vere est aliqua vis, & contextui personaeque loquentis
sunt accommodatae. Quod nos docuit *Longinus c. XXV., &*
post eum eius interpres, ei ingenio & doctrina par, *Bergerus*
ὁ πᾶν: qui in *Chrestomathia Longini S. XXX. §. XCVIII.* ita;
Verba vulgò trita, interdum plus omni ornatu valent, quod continuo
ex familiari usu loquendi intelliguntur, eoque plus fidei habent, &c.
Sed in hac re diiudicanda, magna cautione opus est. Nam non
quaeuis verba, de medio sumta & plebis usu trita, huc in cen-
sum veniunt. Vis & euidencia quaedam significationis verbis
eius-

**

eius-



eiusmodi insit, vt, e familiari consuetudine ducta, plus fidei rei concilient, & pondus atque ἐνέργειαν modo mutuentur ex analogia siue rerum conuenientia. Tractanda tamen esse, mo-
nent hi auctores locupletissimi, hac prudentia, vt quanto pro-
pius ad vulgi sermonem videantur accedere, tanto longius a
peruagatae consuetudinis labe ac faece, ipsa significationis ela-
tione, disiungantur. (*de nat. pulchr. or. p. 226.*) Ex sacris litte-
ris, quaedam exempla, illustrandae huic rei idonea, deprome-
mus. Quum Deus in V. T. idolorum cultum Iudaeis abomina-
tioni & contentui obnoxium reddit, illum vocat **אֱלֹהִים זָרִים**
adulteria; v. c. Ez. XXIII, 42. & Ier. XIII, 27. radix **שָׁרֵשׁ**
tropice notat idola colere v. c. Ier. III, 8. 9. c. XXIII, 10. & sub-
inde. Etsi haec verba de circulis & triuiis sunt petita, vim
tamen quandam singularem, quam a rei conuenientia, e qua
τὸ σημασιτικὸν oritur, sunt mutuati, habent. Etenim Deus
fidelium coetum, tanquam connubii foedere, iunctum, quasi
sibi desponsauit, vt *λέκνα πνευματικά* gigneret. Quod si igi-
tur, violato hoc foedere, idola sectabatur; foederis coniugalis
turpiter obliuifcebat, & improbitate sua ab eo discedebat.
v. *Glass. Rhet. S. Tr. I. e. XII. p. 383.* Huc pertinet & locus
Phil. III. 8. πάντα ἡγῆμαι σκύβαλα: quibus verbis laudato *Ber-
gero* nihil est ἐμφανιστικώτερον καὶ ἐναργέστερον. Videtur qui-
dem haec vox paullo ignobilior esse; graeci enim stercola,
quae paullo difficilius egeruntur, σκύβαλα vocant, siue, vt
alii volunt, quae canibus obiici solent: quicquid tandem sit,
Apostolus hoc vsurpauit vocabulum, quo nihil contentius
potuit significari, ac etiam dignius, quod non modo omnes
aspernentur, sed & longissime a se reiiciant. vid. *Bezam ad b. l.*
Cui loco non dissimilis est *Petrinus II. ep. c. II.* qui improborum, an-
tea luce Euangelii collustratorum, imaginem, prouerbio, eo-
rum abiectissimam conditionem indicante, optime exprimit.
Quibus addamus locum *Ciceronis (Philipp. II. 25.)* notissimum:
*in istis faucibus, istis lateribus — tantum vini Hispaniae nuptiis
exbau-*

exbau-



exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu, vomere postridie — in coetu vero populi Rom. negotium publicum gerens magister equitum, cui ructare, turpe esset; is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum & tribunal totum impleuit. Qui locus fane videtur deformis, sed tam aptus, ut primum illo verborum ordine, augeatur sententia & infurgat, deinde Antonii sordida turpitudine tam alte descendat in animos, ut mirum excitet odium erga illum. Quo ex loco iterum intelligitur ὁ ἀνάλογον; spurcissimus homo etiam spurcissimis verbis notandus erat. Cuius loci elegantiam qui velit intelligere adeat praeter Quinctil. IX. 4. Rollinum de rat. docendar. & discendar. litt. eleg. P. II. p. 18. Eiusmodi loca etiam sunt apud Virgilium v. c. Aen. VIII, 199. & III. 575. sed quae non minus, quam Ciceronianus, recte se habent. Plura exempla etiam laudatus Bergerus ex Caesare, suppeditabit. In iudicio igitur horum verborum praeter ἀναλογίαν, quam de medio sumpta habere debent, consulenda sunt, persona, tempus, res, eiusque natura, ut exemplis aliquot ostendimus. Sed haec sufficiant. Indicandum enim est, constituisse duos iuvenes, litteris elegantioribus praeclare imbutos disciplinarum studia in Alma Lipsiensi tractare, & oratiunculis habitis, PATRONIS atque FAVORIBVS, pro tot beneficiis insignibus, agere gratias maximas: quorum prior est:

CAROLVS SIGISMVNDVS OTTO, Crottendorf.
qui oratione lat. ostendet: *iustitiam, firmissimum humanae societatis esse vinculum.*

alter

CHRISTIANVS FRIDRICVS RICHTER, Raschau.
orat. gr. demonstrabit *bonas litteras sine bonis moribus, plus Reip. nocere quam prodesse.*

Quibus



Quibus se adiungent:

CHRISTIANVS GOTTHARDT EMMERICVS,
Thumenf. qui carmine lat. *Deum, rebus humanis consu-*
lentem decantabit,

&

CHRISTIANVS GOTTHELF EHRENHAVSS,
Gelenau. qui oratiuncula, *de amicitia, paribus studiis*
concilianda, habita, Academiae Candidatis, nomine
commilitonum gratulabitur.

Vt igitur SVMME REVERENDVS & EXCELLEN-
TISSIMVS DOMINVS EPHORVS, & reliqui Scho-
lae nostrae INSPECTORES & PATRONI, hos iuue-
nes egregios, praesentia sua honorifica dignari velint, etiam
atque etiam rogamus & obsecramus. Scripsi Annaberg,
d XIII. April. 1666 LXV,



Lit. Lat. rec. B 63, 24.